OBSERVATIONES QUAEDAM
DE
NONNULLIS REBUS QUAE MORBI INDOLEM VARIAM ATQUE COMPLICATAM REDDUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT

ATQUE UNA CUM THESIBUS ADIECTIS DIE V. MENS. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLIII. PUBLICE DEFENDET

IOANNES BURY,

ANGLUS.

ADVERSARIIS:

R. CASPARY, PHILOS. STUD.
W. STENS, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
F. ZENS, MED. ET CHIR. DD.

BONNAE,
IMPRESSERUNT CAROLUS ET FRIDERICUS KRUEGER.
MDCCCXLIII.

VIRO DOCTISSIMO

AMICO CARISSIMO

DOCTORI

W. STENS

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

OBSERVATIONES QUAEDAM ETC.

Indoles morbi accurate dignosci non potest nisi antea sanitatis phenomena bene cognoscantur. Morbus simplicissimus nominandus est conditio innormalis nonnullarum partium solidarum vel fluidarum, corporis vivi quandam actionem normalem prohibens, vel actionem innormalem provocans. Etiam hic, ubi morbus simplicissimus est explicatus, symptomatum sanitatis cognitione opus est. At definitio non est magni momenti: nam ex definitione sola et nonnullis principiis simplicibus, morbi phenomena evolvi non possunt, sed ex observatione sunt statuenda; et morbi sicut plerumque invenis definitio constitui non potest, nam ut omnibus morbi speciebus applicari possit, ut accurata et eodem tempore utilis sit, abiret in descriptionem.

Idem de sanitatis definitione pronunciari licet, quia sanitas tantum symptomatum investigatione cognosci potest. Pauci autem sunt qui sanitate perfecta fruantur,

pauci eam aetatem adepti sunt quam adepti essent si res externae cum organismi constructione consensissent.

Primo vivi corporis tempore organum, ut ita dicam, ex informi massa est compositum, cuius functio usque ad certam periodum continuata tum gradatim diminuitur, quo tempore, quoad totum organismum, aliud organum cuius formatio postea subsequitur, loco prioris fungitur; quae res ut probetur tantum de corporibus **Wolffianis** et renibus, de branchiis et pulmonibus, mentionem facio. Ultima functio maximi momenti est generatio, qua species est propoganda; qua functione, ad quam absolvendam animalia existere videntur, peracta, totus organismu longa mutationum serie afficitur, quae illis similes sun quae antea in singulis organismi partibus sunt observatae, et quae eum paulatim dissolvunt. Quibus rebus respectis mors eodem modo naturae convenit quo vita et si eam in connexu cum progenie iam procreata contemplari volumus, eius analogiam invenire possumus. Exempli gratia, quum pulmones ad functionem sunt apti ea branchiarum est confecta; branchiae suo tempore sunt ad vitam conservandam necessariae, ita ut earum destructio pulmonum existentiam vel omnino excluderet vel minime eorum functiones perfectas impediret; in hoc casu praeterea horum organorum functiones eaedem sunt, id est, sanguinis oxygenatio. Eodem modo generationis functio animal procreat, cui iterum parentum functiones sunt repetendae: branchiae fungentes et hac functione orbatae, cum individuo eundem connexum praebent ut generatio et mors cum specie.

Branchiarum destructio referenda est ad illud intelligentiae consilium quo totus organismus regitur, et quo consilio animal omnino mutatur, quod ei pinnarum loco

pedes dedit, organorum digestionis atque respirationis indolem aliquid mutavit, et ei instinctum aerem quaerendi praebuit: et sine dubio contendere possumus individui mortem lege multo maioris momenti provocatam esse quam ea sit qua vita regatur. Etiam referendum est branchiarum materiem resorptam et in sanguinem reductam esse post functione se abdicaverunt: eodem modo mors individui materiem naturae reddit.

Leges vitales per totum vitae decursum, rebus externis maxime faventibus, mutantur; functionum vis in corporis partibus continuo diminuitur, usque postremum minima modi quo res externae agunt variatio, ad gravissimas functiones perturbandas vel immo auferandas sufficit, atque mortem affert. Quaeque essentia vitae est, aut materiae propria in qua eam existere dicunt aut non, iure coniicere non possumus essentiam ipsam mutari; ideo functionum discrimen et eorum quae sunt consecuta, potius primariae materiei in qua functiones ipsae manifestantur discrimini est attribuendum, quam ad rem adnumerandae sunt res externae quae ad individui evolutionem contribuerunt, exempli gratia, calor, nutrimentum et alia huius generis.

Sed si res externae etiam maxime favent, maxima eorum quae consequuntur varietas occurrit, quia natura varietate gaudet. Exempli gratia, insecta pro uno die sunt nata, et liones pro triginta annis: aliquid huic rei simile in animalibus eiusdem speciei occurrere potest. Varietates sunt physionomiae, coloris atque formae; sunt etiam temperamenta, de quibus sanitatis explicatio valde dependet. Quando homo temperamenti sanguinei dispositionem ad temperamentum melancholicum pertinentem praebet, morbum appropinquantem indicare nobis

licet; sunt homines quorum sensibilitas ad modum normalem redigi nequit nisi mutatione adhibita qua etiam functiones gravissimae male afficiantur. Etiam homines inveniuntur, quibus pulsus quadraginta ictuum sit, in quo casu pulsus octoginta ictuum magnum gradum febris indicare potest; alii etiam interdum reperiuntur quibus pulsus sit intermittens. Omnino constat nonnullas puellas multo prius quam cognatas mensibus fungi, quam dispositionem quibusdam familiis adesse, et sine ullo dubio ut alias familiarum res proprias propagari; eodem modo de mensibus cessantibus verba facere nobis licet. Etiam si temporis spatium quo menses redeunt respicis, varietates vel nonnullarum hebdomadarum occurrunt, et si in his casibus menses ordine consueto apparent sanitas perturbatur. Infantum sanitas non eandem indolem praebet quam adultorum, quia in prioribus functiones vitales praecipue apparent, exempli gratia, nutritio, et in adultis praecipue eae functiones quae animales nominantur: cordis contractiones et respiratio celeriores in infantibus fiunt; si vigilia adultorum in infantibus, vel si infantum dispositio ad somnum in adultis, occurrit, utraeque res morbum indicat. Senum sanitas multum discrepat, ut etiam ea utriusque generis. Quibus rebus freti coniicere possumus etiam aliarum functionm varietates, quae sanae nominandae sint, adesse posse, exempli gratia, functionum cutis, renum et hepatis

Si organismi facultatem se ulli affectioni accommodandi respicimus, functiones occurrunt quae primum indole aegrota erant praeditae, postea hanc indolem non praebent. Exempli gratia, ulcus inveteratum interdum sanare non licet, quia apoplexia est timenda; diarrhoe-

am suppressam intestinorum inflammatio, et gonorrhoeam suppressam orchitis, sequi potest. Nonnulli haemorrhagia laborant, vel regulari vel irregulari temporis spatio, vel ex naribus vel ex intestinis, quae sine magno periculo supprimi non potest, quia hac haemorrhagia suppressa sanguinis effusio in organa gravissima existit, exempli gratia, in cerebrum cum apoplexia sequente.

Etiam vis quam mores in sanitatem exercent non est negligenda. Nonnulli quoque die musculorum labores subeunt, et multum aëri sunt expositi; quorum pulsus est fortis atque plenus, cutis afficitur calore modico et aequali, alvus quoque die semel vel bis deponitur, multae functiones vigore quodam perficiuntur. E contrario alii vitam sedentariam degunt, fortasse in litterarum studio occupantur. Quibus in personis cordis functio debilis invenitur, cutis superficies parum caloris praebet neque multum spirat, alvus quaque hebdomada tantum bis vel ter solvitur, multae functiones vitales cum parvo vigore et difficulter perficiuntur. Personas postremum enumeratas sanitate carere contendere possumus: sed hoc revera non est, nam si ullo modo eorum vitam mutare vis tibi est timendum ne maiores molestiae exoriturae sint.

Clima in sanitatis indolem, terminum vitae consuetum, et in modum quo omnes functiones vitales perficiuntur, magnam vim exercet. In Africae regionibus calidis et in Asiae partibus pubertatis tempus multo prius incipit; puellae octo vel decem annos agentes mensibus funguntur, et viginti quatuor vel triginta annos natae vetulae fiunt. Sunt nonnulla corporis organa quae inter se quoad functionem sunt coniuncta, et, ut ita dicam, quodam antagonismo praedita; quae coniunc-

tio occurrit inter cutem et renes, inter hepar et pulmones. Cutis functiones varia temperie, humiditate et pressu, aëris, valde mutantur: qua re etiam renum functiones per ambages afficiuntur. Sanguis non tam facile carboneo privatur in calida quam in frigida regione, quia discrimen est quantitatis oxygenii in eodem aëris volumine: ideo pars huius laboris ad hepar transfertur, qua ex causa huius organi morbi tam frequentes in India orientali occurrunt. Varietas climatis, anni temporibus mutatis, altiori situ, aliisque rebus topicis, provocata, mutationes similes in personis eiusdem regionis producit.

Quibus ex rebus apparet vocem sanitatem non esse certam: sed nihilominus explicatio eius stricta et accurata est optanda. Defectus sanitatis est morbus, cuius gradus phenomenis sanitatis et morbi comparatis aestimari potest. Nonnullae rerum enumeratarum atque sanitati naturam peculiarem praebentium raro inveniuntur, aliae autem quoque die occurrunt, exempli gratia, temperamentum et constitutio.

Quae magna phenomenorum physiologicorum varietas autem pathologicorum varietatem producit, itaque magna varietas eiusdem morbi existit, qui multas personas corripit. Vel eiusdem familiae membra ne eodem quidem modo febre typhosa laborant; alii leniter, alii maximo gradu afficiuntur; nonnulli constitutione debili praediti primum febris impetum superare non possunt, quia totius organismi vires morbo oriunte paene extinguuntur; in aliis constitutione robustiori praeditis prima febris signa minora apparent, organismus in morbi impetum agit, et aegrotus post longum certamen restituitur; postremum in aliis constitutione maxime robusta praeditis organis-

mus in morbi impetum tam violenter agit ut affectiones secundariae existant, exempli gratia inflammatio cuiusdam organi maximi momenti, aut organismus omnino debilitetur. Persona debilis saepe morbo corripitur, sed etiam saepe restituitur, ut fraxinus agitatur vento sed non multum afficitur; in aliis personis sanitatis functiones fortes apparent, et eiusdem indolis functiones manifestantur si morbo corripiuntur: magnis viribus delentur, ut quercus resistit sed postremum tempestate obruitur. Quarum observationum veritas multorum morborum enumeratione probari potest, sed unum exemplum adhuc addere volumus, erysipelas nempe. Saepe accidit ut personae eiusdem vitae sed varia constitutione praediti eodem tempore hoc morbo afficiantur, fortasse in facie et ad collum: in nonnullis hic morbus mitis existit, per aliquot hebdomadas lento pede incedit sine ullo symptomate gravi, cute sola, ut nobis videtur, laborante; in aliis morbus febrem gravem aliis organis gravibus perturbationem tribuentem producit, ita ut totus organismus laboret. In priori casu morbus exitu bono, etiam nulla cura adhibita, fruetur; ii hac affectione febre comitante laborantes, in magno periculo sunt nisi cura idonea et strenua in usum vocetur.

Morborum causae tam variae quam sanitatis conditiones occurrunt, quarum paucas hic contemplari volo, praecipue eo consilio ut complicati eorum effectus illustrentur. Si quisque magno frigoris gradui exponitur, corporis superficies externa contrahitur, qua re sanguis ad organa interna repellitur, in quibus congestiones oriuntur, quae in infantibus sine ulla mora convulsiones vel pulmonum oppressionem provocare possunt, in senibus apoplexiam. Frigus etiam in cutem agit, quae

impressio nervis ad organa centralia systematis nervosi transfertur, et illinc ad alia organa interna, exempli gratia, ad cor, ibi contractionem debilem reddens, qua re congestiones internae augentur. Multa organa gravia nunc laborant, quia nimis sanguinis continent: ideo impressionum innormalium series cum systemate nervoso communicatur, qua re febris producitur ut conditio sanitatis integra revertatur. Praeterea cutis functiones frigore afficiuntur, et quia cutis functiones cum iis renum modo antagonistico cohaerent, sequitur ut etiam renum functiones perturbentur: eadem observatio eodem iure ad pulmones applicari licet. Etiam verisimile est impressiones innormales a systemate nervoso perceptas et actione quadam propagatas etiam ad alia organa praeter cor transire. Rebus hoc modo consideratis multa alia phenomena morbum indicantia illustrari possunt, exempli gratia, respiratio oppressa, vires ad musculos movendos deficientes, intestina tarda, functiones renum et hepatis mutatae; et necesse est multorum organorum congestiones functiones perturbatas sequi. Qua ex re elucet, frigoris nimis magni gradus vel per nimis longum temporis spatium protracti, effectus esse multos et complicatos: gravedinis orientis indoles tam varia est quam organismi dispositio.

Sanguinis indoles vario modo in malam partem mutari potest; nutrimentis vel potu malae qualitatis vel quantitatis, vel aërem impurum trahendo: sed quacunque via sanguis corruptus est semper multas malas affectiones producet. Spiritu ducendo typhi vel cholerae contagium vel febris intermittentis miasma facile in sanguinem introduci potest: et si sanguinem ita corruptum in systema nervosum agentem contemplaris, facile multa

phenomena indole morbosa praedita explicari possunt. Defectus fibrinae in sanguine pulmonum morbum tuberculosum provocare videtur: sed eodem tempore etiam alia organa eodem modo afficere potest, exempli gratia, glandulas lymphaticas et intestina, vel renes, in quibus tunc morbum Brightii granularem, ex sententia Williams, provocat; et post mortem paene quamque texturam tuberculis correptam interdum invenimus. Sanguis fibrinae et partium rubrarum defectu debilitatus multorum morborum causa esse potest; nutritio imperfecta erit, dispositio ad haemorrhagias et seri effusionem in texturam cellularem exoritur, et etiam cordis functiones perturbabuntur. Sanguis materiam praebet ex qua omnes secretiones et excretiones originem ducunt, et ad omnium organismi functionum harmoniam necesse esse videtur sanguinem in omnes partes agere: qua ex observatione physiologica elucet fieri non posse ut sanguis sit corruptus nisi morbis complicatis exoriuntibus.

Inter morborum causas animus maximi momenti est aestimandus. Metum contractio musculorum inaequalis sequitur, terrorem contractio subitanea et convulsiva, dum e contrario fiducia vires auget, et furor eas ad tantum gradum perducit ut, exempli gratia, homo furore correptus ictum impertire conans humerum frangat. (S. Cooper). Animi affectiones ad musculos involuntarios ipsos extenduntur, exempli gratia, ad cor, ita ut eius organi contractiones irregulares, debiles, aut violentae, fiant. Sed animi vis etiam latius se extendit; ciborum appetitus saepe salivae secretionem provocat, dolor et gaudium magnum lachrymas; si mulier mammas infanti praebens ira corripitur lacti indolem infanti noxiam im-

pertit; nuncii mali appetitum ciborum auferunt, et cibis iam sumptis digestionem perturbant; et terrorem in nonnullis personis paene extemplo diarrhoea sequitur. Quibus rebus respectis verisimile est animum etiam in aliis organismi functionibus efficacem se praebere, et alias secretiones, absorptionem, nervorum functiones et nutritionem afficere. Moeror et res adversae sine dubio phthisin et hepatis morbos procreant, sed verisimile est his rebus primum appetitum ciborum et digestionem perturbari, qua re postea pulmones et hepar afficiuntur. Hoc modo animus in morbis provocandis vario modo agit, ita ut paene quaeque corporis pars afficiatur, vel plures partes eodem tempore; nam ei systematis nervosi parti quae animi functionibus servit cum toto organismo coniunctio intima esse videtur.

Dum has observationes collegimus, sanitatem integram esse supposuimus, et quomodo morbi originem ducere possint vidimus. Si autem ulla sanitatis perturbatio est exorta alii effectus celeriter sequuntur; ut cordis contractiones irregulares, in nonnullis organis sanguinis defectum, in aliis congestiones, provocantes, quibus rebus atrophia, hypertrophia, et effusio, structurae laesionem constituentes, producuntur. Quae rerum conditio iam prima aetate invenitur, saepe vel priusquam embryonis vita sit finita, foetus enim simili modo iis causis quae morbum provocant afficitur quam mater, quia revera eius organismi pars est; hoc modo infans saepe syphilidis secundariae symptomatis praeditus nascitur, vel pulmonum tuberculis, vel alia laesione organica. Ex quibus rebus sequitur ut morborum causae partim in organa integra et partim in alia structurae laesae agant. Si structura cuiusquam organi laeditur eius organi functio simili modo

laedatur necesse est, quae functionis perturbatio facile et graviter augeri potest externa morbi causa quae rebus alio modo comitantibus nullius momenti fuisset. Praeterea organum structurae laesae externis morbi causis alio modo afficitur, et in multis casibus facilius, exempli gratia, oculus structurae iam laesae facilius inflammatur; etiam cordis laesae conditiones sunt quibus impetus externi minimi gradus sic augentur ut morbi gravissimi exoriantur.

Ideo morbus, quod ex his paucis observationibus institutis elucet, saepe vel initio est complicatus: et si initio non est tamen progrediens fit. Conditiones innormales et functiones perturbatae externis rebus provocatae alias affectiones procreant, quae affectiones iterum morborum sequentium causae fiunt. Quidam in inferiore medullae spinalis parte iniuria hemiplegiam provocante afficitur. Renum functio perturbatur, urina fit ammoniacalis et irritat vesicam urinariam, qua irritatione inflammatio subacuta provocatur; et exinde febris universalis exoritur, quam viribus exhaustis mors sequitur. Iterum dentitionis irritatio convulsiones adducere potest. Loco systematis nervosi nunc membrana mucosa intestini sympathia affici potest, qua re diarrhoea provocatur, quae saepe res minimi momenti est, sed suppressa infanti periculum afferre potest. Sed interdum diarrhoea est nimis gravis, et per nimis longum temporis spatium, fortasse malis cibis, protrahitur. Infans emaciatur, vires paulatim diminuuntur, febris irritativa exoritur, cuius irritationis universalis tempore systematis vascularis primum cerebri affectiones se manifestant, quibus affectionibus crescentibus infans hydrocephalo moritur. Sunt etiam morbi valde complicati qui ex alvo adstricta ori-

ginem ducere videntur. Intestini irritatio ad cerebrum propagata, dolorem capitis vehementissimum, sensibilitatem maximam lucis et soni, provocat: febris magni gradus adest. Si nunc pulmonibus dispositio ad aegrotandum est, facile copia sanguinis extraordinaria quae nunc per pulmones fluit, excitari potest; simili modo cordis functiones perturbatae provocari possunt, quas anasarca sequi potest: morbi occulti cuiusquam organi in actionem agi possunt; capitis affectio quae primum tantum irritatio erat in inflammationem transire potest, vel eodem modo intestini inflammatio exoriri potest. Quae si res in puerpera accidit conditionis peculiaris causa multorum organorum abdominis et pelvis, verisimile est haec organa inflammatione corripi; et si peritonaeum etiam corripitur ascites exoriri potest, quae nimis aucta respiratio suppressa erit. Si digestio perturbuta est etiam sanguificatio mutabitur, qua ex causa nutritio imperfecta erit, et organorum structura laesa eorum functiones etiam perturbabuntur; quarum functionum perturbatio iterum organorum laesionem provocare potest.

Sunt etiam nonnulli morbi in quibus observatum est quandam symptomatum seriem in certo ordine et tempore occurrere, qua re morbi ipsi in stadia dividuntur. Exemplum optimum ex febre intermittente sumere potes. Cuius febris pathologia trium stadiorum, congestionis, reactionis et exhaustionis, valde est varia, et si eandem curam pro tribus stadiis instituere tibi in animo esset, non minus inepte ageres quam si morbos maxime sibi contrarios eodem modo curares. In quoque cholerae morbi casu omnino non perturbato tria stadia, congestionis, reactionis et exhaustionis, occurrunt, quod

etiam pronunciari licet de exanthematis, de typho et de quaque febre ex refrigerio, intestini irritatione et multis aliis causis, exorta, quamquam in nonnullis casibus harum affectionum unum vel plura stadia tam leviter occurrunt vel naturae tam transitoriae sunt, ut sine exploratione accuratissima observari non possint.

Etiam affirmari non licet quodque stadium semper eandem indolem praebere; symptomata externa quae plerumque unum stadium indicant occurrere possunt, si autem conditiones pathologicas respicis de quibus stadii cura dependet, res est maxime incerta. Quae res ut illustretur primum vel stadium congestivum febris typhosae sumas: est pulsus debilis, superficies frigida et pallida, et respiratio valde oppressa. Quae est casus natura vera? Utrum sunt vires aegroti ita debiles ut impetui contagii resistere non possint? Quae res si ita est aegrotus mortem effugere non potest. An sunt vires tantum suppressae, ita ut congestionum organorum internorum causa organismus agere non possit? Quodcunque est nullo modo in certis casibus ad hanc quaestionem a priori responderi potest, et etiam experimentis antea quotiescunque institutis haec quaestio solvi non potest. Experimentum instituas, exempli gratia, sanguinis emissionem: si operatione instituta respiratio liberior fit, pulsus fortior, et vultus meliores, tunc res est laudanda, remedium erat aptum, aegrotus restituetur, et casus indoles est manifesta. Si stadio reactionis irritatio est permagna, pulsus centum et viginti ictuum, cum delirio et aliis symptomatis valde periculosis, haec omnia effectus contagii esse possunt quod systema vasculosum perfluit; quum autem pro hac conditione nulla remedia specifica adhuc cognoscamus, nihil

aliud facere possumus nisi curam mitigatoriam contra symptomata exorientia adhibere; ex altera parte conditio gravior facta etiam de laesione topica cuius symptoma est dependere potest, exempli gratia, de inflammatione vehementi. Inflammationem adesse et quo loco sit de aegroti dispositione dependebit, etiam de congestionum indole primo stadio, quia ea organa quae maxime congestiva erant etiam facillime inflammatione corripiuntur, et quidem ex eadem causa ex qua partes contusae febre symptomatica praesente facillime inflammatione afficiuntur. Et si tantum inflammatio exploratione instituta est clara, eius cura non indicatur. Etiam est investigandum quamdiu inflammatio iam adfuerit, quae aegroti sit constitutio, et quae eius fuerit vita. Stadio ultimo, id est exhaustionis stadio, symptomatum seriem ei stadio reactionis similem, sed sub alia forma, permanere saepe est observatum, exempli gratia, ruborem faciei interdum exorientem, sudorem, et pulsum debilem et celerem. Quae conditio febri hecticae valde similis est, sed tantum de viribus valde diminutis dependere potest, quo in casu adhibitis medicaminibus narcoticis atque stimulantibus, diaeta nutriente, et aëre puro, aegrotus optime curatur; si autem de inflammatione subacuta organi cuiusdam interni dependet, cura omnino contraria in usum est vocanda, exempli gratia, sanguinis emissio topica, et methodus derivatoria. Has et multas alias res quae morbo progrediente occurrunt nunquam providere possumus, et idcirco non earum curam, nam utrum adsint necne, et cuius indolis sint, maxima est varietas: earum natura et cura observatione et ratione sunt statuendae.

Dum in morborum decursu phenomena paulatim ex-

istunt prima huius seriei phenomena evanuerunt, quia ea cum symptomatis sequentibus coniungi non potuerunt, exempli gratia, febris stadia singula coexistere non possunt: sed etiam in hoc casu aegroti conditio magis complicata fit, quia functiones morbo affectae vestigia reliquerent necesse est. In aliis casibus affectiones morbosae gradatim accumulantur donec paene maxima totius organismi pars morbo sit correpta: et si hunc morbum complicatum eodem consilio curare vis eo difficiliorem rem invenies quum morbi phenomena pro aliquo temporis spatio non eiusdem momenti inter se sint. Exempli gratia, in febre, systemata vasorum, nervorum et membranarum mucosarum, eodem tempore afficiuntur; primum fortasse indicatio est curam praecipue in systema vasorum dirigendi, altero die fortasse membranae mucosae cura maxime sunt dignae, postremum symptomata gravissima pulmones nobis praebere possunt, et hoc modo phenomena sine ordine alternatim occurrere possunt. Lex organismi physiologica procreat etiam hanc legem pathologicam. De morborum phenomenis singulis quae occurrere possunt opiniones coniecturales formari non licet, quae quoad existentiam et naturam tantum sunt observanda.

Etiam morbi eiusdem indoles est varia. In nonnullis regionibus cuidam morbo symptomata quaedam maxime peculiaria sunt, exempli gratia, typhus Dublini et in terra adiacenti semper cum petechiis animadvertitur, quod symptoma attamen non infaustum esse videtur, sed e contrario exanthematis naturam praebere et faustum esse ex sententia Stokes, quia plurimi aegrotorum in quibus exanthema exortum est vel sunt restituti vel morbi phenomena non tam vehementia praebu-

erant, cuius rei opinio antea omnino contraria erat. Sed addendum est in his casibus petechias laete rubras esse inventas. Est etiam adhuc aliud symptoma peculiare, nempe in multis aegrotis pulsus maxime debilis. In his casibus nisi cura idonea et strenua adhibeatur pulsus semper debilior fit, minus sentiri potest, postremum sentiri nequit, et mox postea morte omnia finiuntur. Eodem modo cordis ictus exploratione in eius regione instituta debilitati inveniuntur, sed eius contractiones debiles adhuc distingui possunt quando arteriarum pulsus sentiri non licet. Si stimulantia diffusilia, quorum optima sunt vinum et vinum adustum, dantur, symptomata multo mutantur; ictus cordis et arteriarum pulsus fortiores fiunt, sed minus frequentes: si remedia non magis porriguntur morbus in conditionem pristinam revertitur, et remediis iterum adhibitis iterum aegrotus se meliorem sentit, quibus remediis per aliquot dies sumptis cura finitur. Nunc ex Stokes observationibus constat semper cum hoc ictu debili, si occasio sectionis instituendae data erat, peculiarem cordis conditionem fuisse coniunctam, cor enim singulari modo erat mutatum, et tam molle factum erat ut digitus facile eius substantiam perforaret, qua ex causa ictus debilis est exortus. Stokes sibi persuasum habet si his remediis adhibitis morbi conditio melior fiat semper hanc cordis indolem adesse, et haec remedia esse specifica quibus cordis functiones continuari possint donec omnibus totius organismi viribus intentis cor ad conditionem normalem revertatur. In Angliae typho, exempli gratia, Londini, hoc non observatum esse videtur, itaque remedia stimulantia, ut vinum et vinum adustum, non tanto successu adhibentur; in multis casibus e contrario iis remediis symptomata

augeri est observatum, et in omnibus casibus necesse est ut iis valde caute utamur. Typhum Londini et Dublini eundem esse omnes consentiunt, quia ut videtur simili modo originem ducunt, et eundem decursum habent; in plurimis symptomatis idem sunt, sed in nonnullis discrimen essentiale manifestant, quae res morbis ipsis idem nomen non auferens, curam autem omnino aliam indicat. Quia morbi tam complicati sunt eorum nomina medicis arbitrio sunt, et semper erunt: morbi nomen vix unquam eam conditionem indicat in quam cura est dirigenda, in optimo casu nobis tantum viam quendam morbum explorandi indicat. Nunc non satis constat ex qua re haec cordis substantia mutata dependeat: typhus in Hibernia plerumque indolem debiliorem praebet quam in Anglia, et fortasse cordis mollities hac conditione generali efficitur: si haec explicatio bona est, aliae observationes mutationes similes in aliis texturis detegant, et cordis mollities etiam in typho indolis debilis in aliis regionibus inveniri liceat. Si maiorem debilitatis gradum typhi in Hibernia quam in Anglia respicis, sequitur ut remedia debilitantia non tam bona in Hibernia quam in Anglia se praebeant. Qui debilitatis gradus maior fortasse nutrimentis malis quibus Hiberniae incolae utuntur explicari potest, paene semper solanis tuberosis fruentes, quibus vel saepe indigent: omnino constat solanis tuberosis deficientibus in Hibernia typhum crebrius grassari et magis mortiferum esse. Dignum est investigari num vicinitas terrae incultae Hiberniae non multum ad hanc typhi conditionem contribuat.

Typhus Edenburgii quoque maxima debilitate est praeditus, vires celeriter diminutae iam primo tempore remedia stimulantia diffusilia indicant. Quibus remediis

adhibitis effectus mirabiles provocantur; pulsus fortior sed minus frequens fit, secretiones et excretiones adiuvantur, calor topicus nunc universalis et modicus fit (Alison). Eadem cura quibusdam rebus indicantibus etiam cum successu in Anglia in usum est vocata, exempli gratia, in nonnullis eius magnis urbibus. Quarum urbium pauperes in cellis vitam degunt, paene sub terra, ita ut neque sol neque aër purus penetrare possit, magnus eorum numerus in nimis angusto spatio adest, neque certa via quo vivant sibi comparare possunt, interdum spirituosa sumunt ut vitae miserrimae splendorem felicitatis transitoriae circumdent, alio tempore vitae rebus necessariis egent. Si typhus huius generis personas corripit simili modo se praestat quo ille Dublini et Edenburgii et paene eandem curam poscit. Typhus etiam apud agricolas Angliae et apud incolas eius pagorum aliquid varium se praebet, videlicet non tanta debilitate est praeditus: nihilominus totus organismus afficitur ut in aliis casibus, omnes functiones vitales perturbantur; pulsus est celerrimus sed non debilis, calor in superficie magnus sed aequabiliter diffusus, inflammationes topicae adesse possunt, et stadio acmes delirium crebro occurrit sed est furibundum. Qua in conditione remedia stimulantia raro adhiberi licet; remedia purgantia, diuretica, diaphoretica, et interdum sanguinis emissio, his in casibus maxime fidei sunt.

Si typhum Lutetiae Parisiorum respicis ea quae post mortem sectione instituta sunt inventa te ducere possunt ut tibi persuasum habeas inflammationem membranae mucosae stomachi atque intestinorum plerumque adfuisse: contenderunt typhum ex hac inflammatione originem ducere et omnia alia symptomata tantum huius

inflammationis esse sequelas, quae opinio ad omnem typhi speciem est applicata (Broussais). Sed nullae sunt observationes quibus haec opinio excludens probatur; non satis elucet utrum haec gastro-enteritis causa an sequela morbi sit. Opinio est Doctoris Forbes dispositionem ad gastro-enteritidem diaeta vegetabili Parisiorum, vino acido, et ipsis potionibus acidis quae aegrotis porriguntur, provocari. In typho in Anglia gastro-enteritis non multo saepius occurrit quam aliorum organorum inflammatio, exempli gratia, pulmonum, bronchiorum et cerebri, illis casibus exceptis in quibus haec gastro-enteritis medicaminibus drasticis male adhibitis vel nutrimentis irritantibus sumptis est tribuenda: ideo Angliae typhus non solum gastro-enteritis est. Typhus Lutetiae Parisiorum etiam exemplum esse videtur morbi qui complicatione occasionali valde mutatus curam simili modo mutatam poscit: quibus ex rebus elucet nominibus generalibus caute utendum esse, et multas varias res comprehendere et cum ratione comparare ut cura morbi idonea adhibeatur.

Typhus alio modo suam varietatem manifestat, eodem loco nempe non eandem indolem semper praebet. Typhus epidemicus Edenburgii uno tempore indolem distincte inflammatoriam, id est, dispositionem ad inflammationem organorum gravium, praebet: qua ex causa in illo tempore sanguinis emissio vel remedia antiphlogistica sunt adhibenda. Alio tempore morbus cum indole debili apparet; nonnullae affectiones topicae congestionibus similes sunt, quarum cura probatur deplere atque stimulare eodem tempore cum successu in usum vocari. In his casibus venaesectio mortifera esset, sed nonnullis hirudinibus applicatis affectiones locales removebun-

tur, et ne revertantur remediis stimulantibus caute adhibendis efficies, quia his adhibitis cordis functiones fortiores fient et sanguinis circulatio aequalis. Postremum alio tempore typhus Edenburgii magnam similitudinem typho Lutetiae Parisiorum habet, tam in morbi decursu quam in effectibus post mortem exhibitis (Alison). Quae indolis varietas vario tempore etiam in aliis morbis occurrit, exempli gratia, in scarlatina, rubeolis et variolis; etiam influenzae mentionem facio, et Sydenhami observationes de morbis epidemicis suo tempore ad hanc sententiam probandam sufficiunt. Cura quae maximo cum successu ad morbum sanandum est adhibita fortasse anno sequenti si idem morbus revertitur valde noxia erit: morbus epidemicus discrepare potest non tantum ab eo morbo qui antecessit sed etiam ab omnibus aliis praegressis, itaque in omni casu maxima cum diligentia est explorandus.

Vel eiusdem morbi epidemici indoles in morbi ipsius decursu mutari potest, quod sine dubio de cholera asiatica pronunciari licet, et fortasse etiam de aliis morbis. Quum cholera asiatica in quaque regione existeret valde mortifera erat: aderant vires maxime prostratae, superficies erat frigida et livida, pulsus vix sentiebatur, eiiciebatur per os et per anum materies decocto oryzae similis, facies hypocratica apparebat. Quaeque cura sine successu est adhibita, symptomata celeriter in peius ruebant sine ulla conditione meliore transitoria donec mors omnia finiret, quae saepe iam decima vel duodecima hora post morbum exortum apparebat: aegroti stadio congestivo moriebantur. Morbi epidemici periodo sequente effectus subitaneus huius contagii non tam distinctus est; stadium congestivum

saepe organismi reactio sequebatur, ea quae mutatio fausta remediis stimulantibus caute adhibitis et calore ad superficiem applicato est promota; in nonnullis casibus larga venaesectio organa interna a pressu liberans hanc organismi reactionem effecit; et respiciens sanguinem evacuationibus per os et per anum valde mutatum facile intelligere potes interdum successum medicaminibus salinis in venas iniectis procreari. Inter reactionem febris magna, etiam symptomata certissima inflammationis internae, interdum adfuerunt, quae sanguinis emissionem et alia remedia antiphlogistica postulabat: et si in his casibus mors accidit hoc reactionis stadio, vel virium exhaustarum saepe secuto, sectione instituta inflammationem adfuisse distincte probatum est; in aliis casibus hoc reactionis stadium sine ullo inflammationis symptomate praeterire potest, quod secutum est stadium tertium vel virium exhaustarum, quo debilitas maxima maximum aegroti periculum indicabat. Postremum sub morbi epidemici finem tria stadia, id est, congestionis, reactionis et virium exhaustarum, observata sunt, cuiusque autem stadii symptomata non tam gravia erant; nulla erat indicatio curae activae et morbus sponte sua in sanitatem abiit (Praelectiones Professoris Williams). Quae tres cholerae morbi varietates attamen non cum temporis spatiis respondentibus erant coniunctae, sed paulatim alterum alterum est secutum; et sic non tantum tres erant morbi epidemici varietates sed morbus epidemicus ab initio usque ad finem suam indolem mutans. Qua re elucet curam generalem cholerae morbi proponi non posse: morborum naturae varietas rationem medici in quoque casu postulat. Medicis gratissimum est quod Professoris Williams opinio de cholerae morbi natura

opiniones maxime discrepantes de hac re prolatas coniungere videtur. Virorum maxime peritorum observationes omnino contrariae esse videbantur; quaeque cura est adhibita, paene omne remedium laudatum est specificum, venaesectio et vinum adustum, opium et aqua frigida, et putaverunt hunc morbum medicorum arte non sanari posse; quum autem hic morbus in toto decursu observatus fuerit res clarior est facta.

Remediorum vires in morborum indolem saepe maxime sunt respiciendae. Exempli gratia, quidam vel causa externa vel interna in oculo afficitur, qua re inflammatio maximi momenti existit, et plerumque haec symptomata animadvertes; dolorem vehementissimum in oculo, coniunctivam omnino rubram, partes huic organo adiacentes tumefactas, rubras et calidas, linguam siccam et albido-obtectam, alvum obstructam, pulsum celerem, fortem et plenum. Si venaesectionem usque ad syncopen instituis, et medicamina purgantia porrigis quae celeriter et fortiter in totum intestinorum tractum agant, multa symptomata brevi tempore mitiora fient; coniunctiva fiet albida, dolor multum diminutus, pulsus paene ad normam reducetur, lingua fiet humida atque pura, et aegrotus omnino se meliorem sentiet. Arte suo tempore in usum vocata affectio quae alio modo oculi structuram delevisset, sistitur: curae indicationi satisfecisti, sed etiam elucet eodem tempore morbum cuius causa remedia adhibita sunt omnino esse mutatum. Nunc necesse esse potest tartarum stibiatum dare, ut conditio venaesectione provocata continuetur, vel opium ut organismi reactio multo sanguine emisso excitata prohibeatur, et si forsan altera venaesectione opus sit non tam larga esse licet quam prior, quia morbus symptomata non

tanti momenti praebet; praeterea evacuationes antecedentes aegroti conditionem mutavisse necesse est, qua re respecta etiam curam eodem modo mutari necesse est. Idem dici potest de cura mutanda quae contra inflammationes et congestiones in decursu febris saepe occurrentes adhibetur; et etiam referendum est has inflammationes et congestiones topicas plerumque mortis causam pronunciari, et eas revera in cura praecipue spectari. Etiam specifica cura conditionibus indicatur quae plerumque mortis causa non habentur, itaque tantum membra illius causarum catenae sunt qua postremum mors adducitur; exempli gratia, alvus adstricta in paene quoque morbo occurrere potest, quae perstans magnum periculum provocare potest: quum autem alvus remediis aptis est soluta, sine dubio haec remedia diutius dari non licet. Idem de diarrhoea dicere nobis licet. Etiam vomituritio stomachi irritatione effici potest, et perstans debilitatem periculosam procreare potest: sinapismus ad stomachi regionem positus saepe extemplo hanc affectionem removet, qua affectione remota etiam sinapismus est removendus, quia continuatus irritationem et febrem augebit. Aegrotorum conditio viribus paene exhaustis quae in morbo acuto saepe occurrit iure remediis stimulantibus curatur: quorum autem effectus maxima cum cura sunt observandi, quia si dosis non mutatur febrem vel congestionem vel inflammationem topicam provocare possunt. Ideo in morborum cura remediorum effectus distincte atque accurate sunt observandi, quorum viribus indoles conditionis innormalis vel actionis perturbatae, et generalis aegroti conditio, omnino mutantur, quamobrem etiam curae sequentis indicatio mutatur.

Conclusio. Morborum indoles necessario varia est. Variae morborum indoles variis locis et variis tempori-

bus adsunt; idem morbus variam indolem in eius decursu praebet; et ipse unus morbi casus est varius si stadia eius singula et aegroti constitutionem respicis. Cuiusquam affectionis nomen plerumque de paucis symptomatis maxime insignibus vel de iis quae plerumque occurrere creduntur dependet, quae symptomata autem non gravissima esse possunt. Praeterea si quicunque morbus adest quo simplex etiam initio sit, constans fortasse ex una conditione innormali, una actione perturbata, vel serie actionum perturbatarum quae inter se connexu causali sunt coniunctae, haec affectionis simplicitas non persistet. Si sympathiam intimam et quemque numerum excedentem totius organismi contemplaris, magna organismi pars vel totus organismus paulatim afficietur, et tibi observanti eodem tempore plures conditiones innormales vel plures actionum perturbatarum series apparebunt: quarum conditionum innormalium vel actionum perturbatarum, quaecunque, primaria vel secundaria, maximi momenti fieri potest, quia quaecunque ad maximum gradum pervenire et ita vitae maxime imminere potest. Postremum remediorum actione morbi complexus remediis adhibitis antecedens ita omnino et vel brevi tempore mutari potest, dum ex una parte conditio sanitati appropinquans, ex altera conditio adhuc innormalis attamen maxime a prima conditione discrepans, producitur, ut a medico omnino alia cura sit adhibenda. Cura idonea atque fausta, semper exploratione cum ratione in quoque casu adhibita est instituenda, et quidem non tantum semel sed quoque die per omne temporis spatium quo cura est opus, quia morbi indoles tam varia et complicata est, eodem modo causis externis atque internis et remediorum viribus subiecta.

VITA.

Ego Ioannes Bury natus sum Londini anno millesimo octingentesimo decimo quarto, patre Ioanne Bury quem iam puer amisi, et matre Sara Horsfield quam adhuc vivam veneror. Addictus sum fidei evangelicae. Scholas in quibus literarum primitiae docentur sex annos frequentavi, quo tempore praeterlapso, literaturam, mathematicen et physicen domi per tres annos sum edoctus. Tunc domum chirurgi celeberrimi nomine Richardus Hardy, Whalley, adii, ubi tres annos degi ut hoc viro praeclaro docente et agente medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae, et theoriam et praxin edocerer. Anno milesimo octingentesimo tricesimo octavo primum praelectiones de medicina, chirurgia, et de arte obstetricia, audivi, et quidem per quatuor annos. Universitates autem quas frequentavi sunt, Edenburgii, Dublini, Londini et Facultas Medicinae Lutetiae Parisiorum Universitatis Franco-Galliae; praeter has Edenburgii et Dublini alliis Scholis quae privatae nominantur interfui. Praeter studia quibus ad tentamen philosophicum superandum sum instructus, praelectiones quas audivi hae sunt: Chemia et pharmacia apud

THESES.

1) De vitae principio nihil scimus.

2) Actiones reflexae non solum e musculorum contractionibus constant.

3) Omne medicamen est specificum.

4) Structura et functio semper a medico curanti sunt respiciendae.

5) Nonnullae laesiones organicae sine febre inflammatoria gradus magni refici non possunt.

6) Auxilium artis obstetriciae saepe poscitur, quamquam natura sola ad partum finiendum sufficit.